



IACOBI ACONTI TRIDENT.

Phil. & Theologiararissimi,

SATANAE STRA-

TAGEMATVM

LIBER I.



AD Satanæ cognoscendas artes
 comodissimus sit aditus: si, quis
 omnium consiliorum eius finis
 sit, inspexerimus, atque is qui-
 dem in promptu est. siquidem ex
 eo quod dicatur homicida fuisse iam inde ab
 initio: quem alium huc esse finem credamus,
 quam hominis interitum, & eum quidem
 sempiternum? Cùm sit igitur Veterator ma-
 ximus, quicquid ad perniciem facit homini:
 id eum moliri in dubijs habendum non est.
 quicquid etiam conducere ei possit ad salu-
 tem: ab eo vt auertatur, illum conaturum per-
 inde certum sit.

*Satanæ Con-
 siliorum finis.*

Est autem in eo posita hominis salus, si Deo
 paruerit: interitus, si contrà fecerit. *Si vitare po-
 tiri vis* (ait Dominus) *mandatis obtemperato.* Ac-
 cipimus autem hinc diuini mandati, siue diui-
 næ legis nomine, quicquid non modò face-
 re, aut vitare, sed etiam persuasum habere iu-

Matth. 19.

*Diuinum
 mandatum
 quid.*